

/ Admodum R/de Pater. Legi processum ad nos missum pro cano-  
nizatione, vel beatificatione pii viri, f. Nicolai eremitae. Sed in  
eo multa vitia observata sunt, propter quae sacra congregatio non  
potuit processum illum admittere, sed jussit secretario, ut inst-  
5 ructionem istuc mitteret. Interim ego Reverentiae V. privatim sig-  
nificabo, quae sint illa vitia

Primum, non debuit fieri processus ex auctoritate Summi Ponti-  
ficis, sed solum ex auctoritate ordinarii. Neque obstat, quod Card  
/lis Burghesius scripserit Episcopo Constantiensi, esse mittendum  
10 processum ad Urbem: illa enim fuit privata admonitio, ut intelli-  
geret Episcopus, a se mittendum primum processum, auctoritate ipsi-  
us confectum, ex quo intelligeret Sedes Apostolica, isthic adesse  
inditia aliqua sanctitatis servi Dei f. Nicolai eremitae. ex qui-  
bus inditiis moveretur Sedes Apostolica ad committendum examen in  
15 genere, et postea in particulari circa sanctitatem, et miracula  
ejusdem servi Dei.

Alterum vitium est, quod non ponuntur in hoc processu juramen-  
ta testium examinandorum per verba ipsorum expressa, ut opus erat,  
sed generatim dicitur, illos jurasse.

20 Tertium, quod non ponuntur verba ipsa testium, cum referuntur  
res gestae vel miracula: debent enim ipsa verba poni.

Quartum, quod miracula, ut plurimum, non probantur, nisi per unum  
testem: debent enim plures testes adduci juxta illud, in ore duo-  
rum, vel trium testium stat omne verbum.

25 Quintum, quod deficient articuli, et interrogatoria, super quibus  
testes interrogandi erant.

Sextum, quod desit legalitas, sive recognitio manus Notarii, ut  
constet processum esse legitimum.

De his et similibus mittitur plenior instructio, quae observan-  
30 da erit. Ego enim, ut dixi privatim Reverentiam Vestram admonere  
volui. Et quidem mihi valde displicet, quod jam bis frustra proce-

/ ssus isthinc missus fuerit: et tentavi, an possent ista vitia hic sanari; sed congregatio re mature considerata, non censuit in re tam gravi, ejusmodi vitia esse permittenda. Spero, tertium processum habiturum omnia requisita, ut possit a sanctissimo Patre mitti ad  
5 Auditores Rotae per congregationem sacrorum Rituum, ac deinde iudicium Rotae examinandum per sacram Rituum congregationem, et rem ipsam tandem conficiendam, ad magnam Dei gloriam, et consolationem fidelium. His valeat R.V. mei memor in sanctis precibus suis. Romae, die 30 Martii 1619.

10

R.V.

frater et servus in Christo  
.....

Robertus Card/lis Bellarminus  
.....

.....R.P.Bartholomeo.Stijcklio,Rectori.collegii.Societ.Jesu.Lucernam.

Admodum R/do Patri Pri Bartholomeo Stijcklio Rectori Collegii So-

15

cietatis Jesu.

Lucernam (cachet)

---

Archiv.Prov.German. S.J. Orig.